





1758  
Pri. 32. *Prüm. 24.*

DISSERTATIO IVRIDICA INAUGVRALIS,  
DE  
CESSIONE BONORVM  
LIBERIS  
A  
PARENTIBVS ADHVC VIVIS  
FACTA,

GERMANIS:

*P. 245*  
Von Abtretung der Güther an die Kinder bey der Eltern  
Lebzeiten und derselben klüglichen Versorgungs-Contract.

Q V A M

IN ACADEMIA ELECTORALI HIERANA,  
SVB PRAESIDIO  
DN. RVD. CHRISTOPH. HENNE,

ICTI, ORDINIS ICTORVM ET IVDICII PROVINC. ASSESS. NEC NON  
IVRIS PVBLICI P. P. ORD.

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XXV. IANVAR. CID IO CC LVIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT  
AVCTOR

IO. GEORG. THEOD. MOTSCHMANN,

ERFORDIENSIS.

OB FREQVENTEM IN PRAXIS FORO VSVM,

I E N A E,

REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1760.



Handwritten text at the top of the page, possibly a date or reference number.

DISSELTATIO IURIDICA IN AVOYRALIS

DE  
CESSIONE BONORVM

LIBER I

PARENTIBVS ADHVC VIVIS

TACTA

GERMANIS

Don Disputation der Philosophen an der Universität zu Göttingen  
Gegeben und der Öffentlichkeit übergeben

IN ACADEMIA ELECTORALI GIESSEN

SYB PRÆSIDI

DN. RVD. CHRISTOPH. BRUNN


PROF. P. B. DOCTORIS

IO. GEORG. THEOD. NOTSCHMANN

OFFICIUM PUBLICUM IN ACADEMIA GIESSEN

1771

REG. LITTERAR. LIBRARIIS VIG.





I. N. D. N. I. C.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. Rubri mentionem facit. §. II. Quid cessio bonorum in genere su? tradit. §. III. Definitionem & divisionem cessionis bonorum liberis à parentibus adhuc vivis facta continet. §. IV. Utrum cessio hac ex Jure Romano, vel Germanico originem trahat? indagat. §. V. Quomodo illa à divisione bonorum à parentibus facta, differat? docet. §. VI. A quibus personis hic contractus celebretur, & quanam bona hoc modo cedere possint? recenset. §. VII. Quomodo consensus ex parte liberorum & parentum debeat esse comparatus, & quem in finem accedere illum oporteat? monet. §. VIII. An etiam magistratus & tutorum & curatorum consensus in hoc negotio requiratur? investigat. §. IX. Utrum, & in quo casu liberi cessionarii as alienum à parentibus cedentibus contractum,

A 2

solvere

solvere debeant, continet. §. X. An equalitas inter liberos, quoad bona cedenda à parentibus sit observanda? mentionem facit. §. XI. Quod in equalitas portioni legitima obstans, attenda sit, complectitur. §. XII. Quid juris sit, si parentes omnia sua bona liberis cedentes, necessariis vite subsidiis egeant? inquirat. §. XIII. Utrum cessio bonorum, quingentos solidos excedens, insinuatione apud acta indigeat? docet. §. XIV. An, & ex quibus causis cessio hac à parentibus revocari queat? resolvit. §. XV. Utrum ob supervenientiam liberorum revocatio locum habeat? respondet. §. XVI. Quenam actio liberis in vicem intuitu bonorum cessorum competat? evolvit. §. XVII. Finem tractationi imponit.

§. I.



Ut rubri & vocum explicationem præmittant, in usu esse solet disputaturis, in præsentem tamen dissertatione supervacuum hic labor nobis esse videtur, cum voces nostri rubri jam sint notissimæ, quid ergo opus lucem in sole quærere? Tractationem ipsam

ſam potius aggredimur, poſtquam generalia  
quædam, ſcopo noſtro convenientia, præmi-  
ſimus.

§. II. Eſt igitur argumentum de ceſſione  
bonorum in genere, quod pauciſſimis verbis &  
breuiter tangendum & percurrendum intendimus.  
Sub voce ceſſionis nihil aliud intelligitur, quam  
translatio domini noſtri in alterum. Si igitur do-  
minium neceſſario requiritur ad ceſſionem, in a-  
pripo eſt, quod res non debeat eſſe ſolum op-  
pignorata, aliena vel jam alio modo in alterum  
translata. In hoc ſenſu ceſſio applicabilis eſt ad  
omnes contractus in communi vita exiſtentes, ubi  
res quædam in alterum transfertur. Non unquam  
vero in alio ſenſu ſumitur: ſic enim quædam ceſ-  
ſio bonorum à LAVTERBACHIO in *differatione*  
*de ceſſione bonorum*, ita deſcribitur, quod ſit actus,  
quo debitor aere alieno, ſine dolo malo obaratus,  
omnia ſua bona creditori ſponte relinquit, ut ipſi  
exinde, quantum fieri poſſit, ſatisfaciat, ipſe que  
à carcere liberetur. *l. 1. C. h. t.* Hæc à IUL. DA-  
SARE introducta lex optima, dicitur *l. 7. §. G.* fle-  
bile beneficium; ſed inſtituti noſtri non eſt, ut  
hoc argumentum penitus eruamus, quoniam va-  
rii proſtant tractatus de eò literarum monumentis

consignati, ad quos benevolam lectorem remittimus. *CONF. MANZIUS de patrocinio de pauperum debitorum. BRUNVS de cessione bonorum. WILDVOGEL. de febili beneficii cessionis aequitate.*

§. III. His praemissis, primario nobis erit respiciendum, quid subintelligatur sub rubrica dissertationis nostrae. Est itaque ista cessione nihil aliud quam distributio ac resignatio facultatum suarum a parentibus, qui adhuc vivunt, in liberos cum in finem facta, ut rebus tanquam suis in posterum ad vitae sustentationem uti possint. Secundum indolem & naturam contractus commode potest dividi in partialem, quando nimirum parentes quaedam solummodo bona in liberos distribuunt, & sibi reservant nonnulla, ex quibus sibi possint alimenta comparare, & in totalem quando omnia bona, nullis exceptis, inter liberos dividenda dant, & de hac posteriori praecipue sermo est.

§. IV. Quod Jus Romanorum attinet, nulla plane leges adsunt, quae aliquid de illa disponant, quoniam partim non erat usitata, partim vero propter rigidum & duriusculum ordinem & constitutionem patriae potestatis commode locum non habebat. Nam liberi sub patria potestate





state viuentes nihil proprium habebant, quicquid  
 acquirebant, patris erat, *l. r. f. per quas personas  
 cuique acquiritur*, ergo pater bona sua minime ip-  
 sis cedere poterat propter identitatem personæ. In  
 liberos emancipatos fieri potuisset, sed non facile  
 temporibus ante Justinianæis, ubi liberi emanci-  
 pati nullum plane jus habebant in bona paren-  
 tum, §. 9. *f. de hereditatibus qua ab intestato defe-  
 runtur*, nec ullam successionem, quod tamen ab  
 Imperatore IVSTINIANO ita mutatum, ut non pe-  
 nitus excludantur à successione, sed aliquam à le-  
 gibus adsignatam portionem capiant ex heredita-  
 te. Erat nimirum temperamentum Romanorum  
 contrarium & neutiquam permittens, ut erga libe-  
 ros se liberales præsent. Leges certe R. silent de  
 hac liberalitate, & ita recte præsumitur, quod in e-  
 mancipatos nulla ejusmodi cessio bonorum in usu  
 fuerit. Est igitur extra omnem dubitationem po-  
 situm, quod sit solummodo inventum juris ger-  
 manici per observantiam ad probatum præcipue  
 in terris nostris, nec non in Saxonia, valde usita-  
 tum. Sæpissime enim contingit, ut parentes se-  
 nectute gravi, vel aliis causis, defatigati, à molesta  
 cura & administratione se liberare velint, dum fa-  
 cultates suas in liberos transferunt, ut commodius  
 vivere

vivere possint, sic wollen sich in Ruhe setzen,  
quamvis spes suas fortuna saepe destituat.

§. V. Cum hac cessione autem non debet  
confundi divisio paterna iam legibus R. fundata, *l.*  
*1. C. famil. hercis. Nov. 107. c. 1.* quæ inter testa-  
menta minus solennia referunt, quando parentes  
bona sua inter liberos distribuunt, sed omnia in e-  
ventum mortis, vel per modum ultimæ volunta-  
tis disponunt, & in eo maxima differentia latet in-  
ter divisionem & cessionem, in hac enim statim  
sunt possessores, omnia emolumenta capiunt tan-  
quam proprietarii, in illa vero nihil præter spem  
capiunt, ipsa bona non prius acquirunt, donec pa-  
rentes decedunt. In multis quidem etiam inter se  
conveniunt, quæ omnia in sequentibus, clariora  
reddentur.

§. VI. Secundum definitionem antea tra-  
ditam satis superque liquet, quod pater persona  
principalis sit, qui recte intelligitur sub voce paren-  
tum. Ille habet quasi umbram quandam patriæ  
potestatis Romanorum in liberos, ille est legiti-  
mus administrator bonorum, & potest de illis dis-  
ponere, alienare nec non personis extraneis mortis  
causa & inter vivos donare, modo donatio mortis  
causa & inter vivos non legitimam excedat, multo  
magis

magis potest inter liberos bona sua dispensare, qui jam sunt sui & legitimi hæredes. An vero mater quoque sub nomine parentum in hoc sensu comprehendatur? quæstio altioris indaginis est: pro negativa pugnat sequens argumentum. Uxor durante matrimonio nihil fere habet proprii, ut possit aliquid alienare, sed ususfructus marito competit, *l. 7. ff. de jure dotium*. si igitur bona liberis cedere velit, ususfructus eo ipso marito detraheretur, quod ipso invito fieri non potest. Sed hæc lex non est universalis, si enim pater in eo consentiat, valida est cessio, cum quilibet favori pro se introducto possit renunciare. Deinde observantia & leges comprobant, quod soluto matrimonio mater liberam administrationem bonorum suorum acquirat, ex quo non potest sequi, non, ut etiam liberam dispositionem intuitu cessionis habeat. Aliud vero in Saxonia obtinet, ubi curator mulieris adesse debet, quando contrahere, donare & vendere vult, hinc recte quoque in cessione adhibendus. *CARPZ. P. 2. c. 15. d. 1.* Quod avum & aviam attinet, plane eodem jure utuntur, præcipue, si liberi non amplius existant, illis vero viventibus, ejusmodi cessio ex supra allatis eatenus solum valet, quatenus liberi per illam non sunt gravati

vati in legitima, uti infra pluribus demonstrabitur. Non unquam vero possunt quoque legitimam liberorum in nepotes cedere, sicut parentes liberos suos exhaeredes scribunt, & loco eorum nepotes substituunt, si hoc nimirum fiat bona mente & in favorem liberorum, quando nempe hi sunt valde obaerati & non solvendo, licet creditorum actiones eo ipso per indirectum elidantur. Si igitur hic modus procedendi licitus & à doctoribus approbatus, v. *Diss. LINCK. & REINHARDT. de exhaered. bon. mente facta*, cur non idem juris erit statuendum in cessione? ratio cur hoc beneficium est introductum, ne nepotes à successione excludantur; hic quoque inest.

§. VII. Parentes igitur hoc in negotio personas principales constituunt, ex quo proinde alveo fluit, ut consensus eorum necessario requiratur. Debet autem esse liber, non dolo inductus, omnis enim contractus vitatur dolo, ergo quoque hæc cessione. Quæritur vero, utrum parentes possint cogi ad hunc contractum? quod recte negatur, non solum propter reverentiam ipsis debitam, sed etiam propter iniquitatem inde oriundam, si liberi parentes adigere velint ad aliquid, ad quod plane lege naturali & civili non sunt obligati, quoniam

hæc

hæc cessio recte ad officia humanitatis & summum gradum paterni amoris & affectionis erga liberos refertur. Et si enim pater omnia sua bona male collocaret, attamen liberi exinde non possunt provocare ad cessionem, quoniam ipsis quoad hunc effectum nullum plane jus competit in bonis parentibus propriis, his adhuc viventibus, sed magistratus ad summum, eis administratione interdicat, & illos pro prodigis declarat; siquidem interest rei publicæ ne quis rebus suis male utatur. Manet proinde regula firma: quoties cessio non est libera, toties est ipso jure nulla. Quamvis igitur liberi nullo jure utantur in bonis adhuc viventium parentum; gaudent tamen facultate judicandi, utrum ipsis hæc cessio sit favorabilis, utrum damno cedat, cujus enim interesse versatur in negotio, actum vel contractu quodam, ejus consensus quoque adesse debet. Liberos autem quam maxime interest, ut intentionem patris sciant, utrum bona mente instituat cessionem, utrum per indirectum lædantur, proinde ut liberi possunt abstinere ab hæreditate, ita quoque ab hac cessione, si nil cupiunt ex bonis parentum. Si enim bona liberis jam propria, quorum ususfructus patri solum competit, ut in peculiis, simul cedere velit, cessio invalida

est, quoniam de rebus sibi non propriis nulla valet dispositio. Præcipue vero in hac cessione respiciendum, utrum legitima ipsis salva maneat nec ne? quid hic sub legitima intelligatur, satis notum. Hæc læsio in legitima duplici modo fit, vel si extraneus tot capit ex massa, ut liberis nec legitima portio superfit, vel parentes ita inæqualiter inter liberos bona cedant, ut quidam plus, quidam minus capiant quam legitimam, de quo casu infra pluribus agendum. Priori casu liberi hoc modo læsi recte agunt adversus extraneum actione suppletoria, ad supplendum id quod legitimæ deest, *l. 36. C. de inoffic. testam.* de posteriori quoque casu, ob identitatem rationis, idem dicendum.

§. VIII. Ut præter consensum parentum & liberorum & magistratus consentiat, & cessionem hanc publica autoritate corroboret, eo minus requiritur in regula, quo magis constat, hunc contractum illorum solum interesse concernere, & per consequens valide iniri, in scio licet magistratu, utpote cujus autoritas in reliquis etiam contractibus in republica iniri solitis, ad validitatem non est necessarius. Uti vero hæc, quoad valorem contractus in regula optime se habent, ita in alia omnia læpissime est eundem, quod regulas consilii attinet,

net, ex variis enim fieri potest rationibus, ut ejusmodi cessio ab una alteraque parte in dubium vocetur, atque quod non satis deliberato animo inita sit, allegetur, adhibita autem magistratus auctoritate, & prævia causæ cognitione facta, & judicialiter confirmata, majus robur accipit, atque omnis fraudis suspicionem firmiori modo excludit. Idem dicendum, si liberi quidam, quorum in favorem cessio suscipienda, ætatis defectu laborent, & adhuc in minorennibus versentur annis, tunc enim tutorum & curatorum auctoritas, & magistratus consensus, prævia causæ cognitione desuper instituta, accedat, necesse est. Quis enim est, quem fugiat, damno cedere posse hanc cessionem liberis? ubi autem damni periculum versatur, & de eo avertendo agitur, tutoris auctoritas requiritur. Quibus non obstat, quod viventibus adhuc parentibus, omnis cesset tutela; nam ratio hæc solummodo respicit negotia cum extraneis inita neutiquam vero pacta & negotia cum parentibus inita, utpote, quæ, ita sunt comparata, ut parentes proprium interesse habentes, non simul memores esse videantur utilitatis liberorum, hinc liberis, quibus alias de tutoribus non est prospectum, hunc ad actum peculiares sunt constituendi tutores. Quod

vero insuper & magistratus consensus accedere debeat, eum in finem fit, quoniam alienatio quasi sub hoc negotio later, dum bona cessa ad liberos transeunt cum omni onere & æs alienum ejusmodi bonis interdum inhærens, facile potest ita esse comparatum, ut paucis elapso tempore, liberos pacti cum parentibus iniri pœniteat, nunc demum animadvertentes, cessionem ipsis damnosam esse & lubricum atatis cautatum fuisse, contractum non satis deliberato animo inutum.

§. IX. Quod si bona à parentibus liberis cedenda, aere alieno sint gravata, & creditoribus in securitatem crediti hypotheca in illis constituta, nullum est dubium, quin bona ejusmodi transeant cum onere ad cessionarios, jure cedentium utentes, uti enim hypotheca ipsam afficit bonorum substantiam, ita ad quoscunque transit possessores, nulla habita ratione, quo modo, quo pacto vel contractu translatio facta. Si autem nulla quidem hypotheca in bonis cedendis constituta fuerit, parentes tamen cedentes, eum in finem bona in liberos transferre velint, ut creditorum actio inanis fiat, cessio erit nulla, siquidem tunc in dolo versatur, atque, uti tali in calu prodita est actio Pauliana revocatus illa, quæ in fraudem creditorum sunt aliena-



alienata, ita etiam ad hanc cessionem ejusmodi actio propitio jure erit applicanda, cum jura non patiantur, ut aliquis ex dolo & dolo tertii emolumentum cum jactura alterius percipiat. Alia autem omnia locum habent, si parentes aere quidem alieno sunt onusti, & tali etiam, ut omnia illorum bona, singulis creditoribus solvendis non sufficiant, illi tamen bona fide, & non de his defraudandis cogitantes, cessionem bonorum in gratiam liberorum suscipiant, deinde vero appareat, creditorum hac cessione frustraneas factas esse actiones, deficiente hypotheca, liberi ad debita à parentibus contracta, solvenda non possunt adigi, neque cessio pro invalida haberi, ob deficientem dolum & propositum defraudandi, sed potius argumentum ex jure hic à domino valde obarato, servum tamen in testamento bona fide manumittente, applicandum, qui libertatem conlequebatur, licet creditorum hoc modo actio inanis fiebat, ita ut & hic notissimum illud brocardicon juris: saepe plus sperant homines de bonis suis, quam in his est, locum sibi vindicet, praecipue, cum & hic creditorum sibi non melius prospicientium, negligentia occurrat, & jura vigilantibus scripta sint. Accedit & hæc ratio, quod ejusmodi parentibus bona

bona fide bona sua vendentibus, creditores hypotheca carentes, venditionem non possint pro invalida habere vel contra emtores agere, quin idem sit statuendum in cessione, nulla apparet ratio diversitatis.

§. X. Parentes, de bonis suis per modum ultimæ voluntatis disponentes, ut æqualitatem inter liberos servent, non esse obligatos, notissimi juris est, liberi proinde per ejusmodi dispositionem in legitima non gravati, non habent, de quo permittente jure possint querimonias instituire; multo magis ergo sorte sua contenti esse debent, si per cessionem inter vivos factam, alicujus portio vincat ratam alterius, dum parentibus viventibus nullum liberis competit jus, aut in jure prodita est actio, per quam hanc inæqualitatem sanare possint, sed potius explorati juris est, quemlibet rei suæ liberum esse moderatorem & arbitrum, nisi leges vel pacta certos huic arbitrio ponant limites, quibus deficientibus, regula firma manet, omnem alienationem, quovis titulo à parentibus factam, à liberis ratam & firmam esse habendam, utut etiam uni plura bona cessa fuerint quam alteri, parentum enim voluntas, uti in omnibus aliis negotiis ita & hic à liberis probe est custodienda. In dubio

dubio tamen & deficiente clara & expressa illorum voluntate, æqualitatem ab illis, quo ad bona liberis cessa esse observatam, omnino est statuendum, dum parentum amor & peculiaris affectio naturales debent huic cessione, & de parentibus præsumendum, quod in singulos liberos æqualiter ferantur affectu. Nonnumquam etiam fieri potest, ut optima ex ratione & suadente naturali æquitate, cessio inæquali fiat modo, ponamus enim casum, quosdam liberos iam dum esse adultos & sibi met ipsis de vita subsidiis posse prospicere, quosdam vero in debiliori adhuc constutis ætate, tunc certe æquum est, ut his plus cedatur, quam illis, ita, ut officium quod a natura parentibus est inditum, eiusmodi inæqualem divisionem suadere videatur. Idem dicentur, si æquitatis regulas sequi velimus, quando aliqui liberi alio iam modo & titulo, a parentibus ex bonis illorum sint sublevati, aliis vero non hac ratione fuerit prospectum, licet enim hoc in negotio omnis cesser collatio & de iure stricto cessio æqualis etiam in hoc casu pro valida habeatur, & si etiam aliqui plus capiant a parentibus, æquitatis tamen regulæ, in negotiis præsertim inter parentes et liberos inicitis, iuri stricto merito sunt præferenda, utpote quæ

C

non

non solum foro externo, sed etiam interno & conscientia plenam conciliant securitatem. Nec minus etiam tali in casu commode inæqualis fieri potest cessio, si aliquis liberorum non quidem a parentibus, sed ab extraneis bona vel per modum legati aut hereditatis, aliove titulo habeat quaesita, reliqui liberi vero eiusmodi bonis sint destituti & parentes hac ratione illis velint prospicere, illorumque indigentiae suppetias ferre, praesertim si bona ex cessione æquali accipienda, sint tenuia & ad commodam vitae sustentationem non sufficientia, reliquorum liberorum autem adventitia opima & ad rem familiarem bene instruendam satis abundantia.

§. XI. Utur igitur in regula expediti iuris sit, cessionem inæqualem esse validam & a liberis agnoscendam & ratihabendam, nihilominus tamen hanc subnectimus limitationem, inæqualitatem non debere esse tantam, ut reliqui liberi per eiusmodi cessionem in legitima lædantur portione: ob stare quidem videtur huic asserto commune illud brocardicon iuris: viventis non est hæreditas, & hinc etiam nulla legitima, verum enim vero & hæc regula suas patitur exceptiones, quas peculiari Dissertatione delineatas dedit Illustris quondam THOMASIVS de legitima  
viven-

*viventis*, referunt huc Doctores sequentes casus, 1) si bona patris ob delictum confiscentur, 2) si pater monasterium ingressus sit, 3) si filius Judzi aut alterius hæredici, fidem orthodoxam amplectatur, 4) si pater incipiat omnia sua bone dilapidare, aut etiam inofficiose donet, vel inofficiosam dotem constituat, conf. BERLICH. *conclus. pract. parte 3. concl. 11. num. 17. seq. CARPZOV. part. 3. const. 12. def. 10. STRYCK. de cautelis testamentorum c. 17 M. 1. §. 4.* Quare recte rationes subduxit illustris quondam BOEMERVS *consult. & decis. tom. 2. parte 1. Resp. 668.* asserens: contractus inter vivos initos in præjudicium legitimæ, a liberis ad effectum supplendi legitimam rescindi posse, ita ut licet totus contractus ea propter non sit pro nullo & invalido habendus, ipsis tamen ad supplendam legitimam actio integra maneat. *auth. unde C. de inoffic. testam.* quibus non obstat, quod hæres factum defuncti agnoscere teneatur, quia legitima ex lege debetur & hinc modo allegatum assertum, solummodo de facto defuncti licito & legibus non prohibito erit intelligendum, quod si enim analogiam legum de legitima disponentium, æqua iudicii lance ponderamus, non possumus non illam, quam hac dispositione adhibuerunt sollicitudi,

rudinem, satis admirari, illiusque rationem æquitate quam maxime consentaneam habere, adeo, ut per indirectum hanc sanctionem neuiquam eludendi facultas alicui concedenda sit, quod vero contingeret, si per actus inter vivos parentes omnem bonorum substantiam alienent & hoc modo efficerent, ut vel nemo liberorum, vel aliqui saltem legitima post mortem portione carere debeant. Quamvis etiam largiamur, expressis & claris verbis non disponi in legibus, ut legitima neque peractus inter vivos, neque mortis causa gravari vel adimi queat, hoc tamen neuiquam nostram infringet sententiam, cum sufficiat, mentem legum esse apertam, eamque animam quasi omnium dispositionum constitutere, eaque reperta, cortici verborum non esse inherendum, utpote quod Legulagisimum, ab omnibus cordationibus Jctis, æterno multatum exilio, saperet, ratio autem legitimæ & mens legum in eo se fundat, ut partim legitima hac portione, liberis indigentibus de alienentis prospiciatur, partim illud condominium, quod liberi in bonis parentum adhuc viventium quasi habent, hac ratione suos sortiatur effectus, hoc enim ex fundamento, filii dicebantur iure Romanorum

no heredes sui, i. e. filii ipsius, unitas personæ in-  
ter patrem & filium fingebatur, & omnique modo  
præcavebatur, ut liberi non alio, quam honora-  
bili institutionis titulo, huius legitimæ fierent  
participes. *audinobes amdit iniv mionod ma*

§. XII. Non solum vero quædam, sed  
omnia etiam bona a parentibus vivis, liberis cedi  
possunt, ut ut quòque hoc pacto eo ipso, se pri-  
vent testamenti factio, falsum enim est, quod  
nonnulli fingunt principium, ac si omnia ea, quæ  
inter vivos geruntur, ita debeant esse comparata,  
ut testamenti factio salva maneat ac integra, præ-  
sertim cum illud tam ratione, quam lege desti-  
tuatur. Hoc tamen facile concedimus, parentes  
eiusmodi in casu se omnibus bonis privantes,  
nec aptos, ut sibi met de necessariis vitæ subsidis  
prospicere possint, a liberis hac omnimoda ces-  
sione peculiari beneficio affectis, alimenta petere  
posse, ipsa æquitate naturali hoc dictante, quem  
admodum enim parentes ad liberos nondum  
educatos & indigentes alendos omni jure sunt  
obligati, ita ratione liberorum hæc obligatio est  
reciproca, accedit & hoc fundamentum, quod  
hanc cessionem sibi a parentibus vivis factam,  
liberi peculiari beneficio acceptam habere de-  
beant,



beñt, utpote ad quam nullo tenentur jure, qua-  
 re grati animi declarandi causa, alimentorum  
 praestatione defungi tenentur, praecipue cum ne-  
 mo possit in dubium vocare ipsis parentibus tan-  
 tam bonorum vim liberis cedentibus, ad exem-  
 plum donatoris competere beneficium compe-  
 tentiae, adeo, ut si ipsos immensa hujus cessionis  
 praeventerit, tot bona possint retinere, quot com-  
 muni illorum necessitati consulendae sufficiunt,  
 siquidem ratio, quae donatori concedit hoc bene-  
 ficium, hac in cessione sibi pariter locum vindic-  
 cat, uti enim illa soli liberalitati natales suos de-  
 bet; ita & haec ex solo favore in liberos fit, &  
 quemadmodum illa, nullo jure cogente fit, ita &  
 haec soli parentum arbitrio est adscribenda. De-  
 nique nemo est, quem fugiat, liberos ad paren-  
 tes egenos alendos, ipso jure, licet numquam  
 bona ab illis acceperint, vel etiam illa sperare  
 non possint, esse obligatos, ex quo eo magis pro-  
 no fluit alveo, hanc obligationem illos tunc ar-  
 ctius stringere, si bonorum jamdum acceptorum,  
 grati animi recordatio, hoc exigat, & tamquam  
 duplex vinculum officii magis memores reddat.

§. XIII. Cessionem nostram bonorum,  
 liberis vivis adhuc parentibus factam, instar do-  
 nationis.



nationis sese habere, modo asseruimus, donationem autem quingentos solidos excedentem, ut perfectum robur accipiat, apud acta insinuandam, alioquin quoad excessum revocationi esse obnoxiam, inter omnes qui primis, ut ajunt labris iuris scientiam delibarunt, exploratum est, & *l. pen. §. 2. C. de donat.* sancitum. Nulli proinde dubitamus, quin hujus legis dispositionem, etiam ad nostram applicemus cessionem, idque eo propitiori jure, quo magis constat, rationes hujus legis etiam hac in cessione sibi locum vindicare, tribus autem potissimum rationibus niti illam, satis erudite demonstravit Iustus Academiae Viadrinae celeberrimus IOH. SAMVEL FRIDERICVS BOEMERVS in *dissertat. de insinuatione in donationibus ad pias causas exule*, §. 2. primo nimirum legislator integritati patrimonii donantis prospexit atque cavit, ne quis facile circumducatur in profusa majoris alicujus summæ donatione, ejus temere profusæ comites solent esse poenitentia & egestas, id enim non solum modus tabularum conscribendarum, judicique postea exhibendarum, in *l. 25. b. t.* definitus, probat, sed quoque omnis contextus reliquarum hunc in sensum pertinentium legum, præ se fert, quibus  
 hoc

hoc præcipue cura fuit, ut omnem præcipitan-  
 tiam prohibeant & omnem donantem de deli-  
 berata circa proprium patrimonium dispositione  
 commonefaciant atque dissipationi obicem po-  
 nant. Altera ratio consistit in libertate volun-  
 tatis, quæ ut integra servetur, utilitas publica re-  
 quirit, eiusmodi cautio enim necessaria fuit, ad  
 impediendas iniquas coactiones fraudesque clan-  
 destinas & domesticas prohibendas, quibus fa-  
 tente Imperatore in l. 27. C. de donationibus olim  
 pleraque donationes immensa originem debe-  
 bant, hanc etiam ob causam hanc insinuationis  
 necessitatem non tantum in communibus servan-  
 dam voluit donationibus, sed etiam in specie in-  
 ter conjunctas personas custoditam voluit, atque  
 legem de omnibus donationibus sancitam, ad  
 has nominatim traxit. Tertia denique ratio re-  
 spicit interesse creditorum, ne debitoribus an-  
 detur, dolosis circumventionibus se subtrahendi  
 nexui, qui ipsis cum creditoribus intercedit, qui  
 certe hoc modo per indirectum omni destitue-  
 retur effectu, si alicui incircumscrip-ta donandi  
 atque bonorum diminuendorum libertas inte-  
 gra relinqueretur. Quis vero non animadvertit,  
 omnes has rationes, ad cessionem nostram co-  
 dem

dem modo esse applicabiles? planè quidem & aperte illius in legibus non fit mentio, neque etiam commode fieri potuit, dum hoc institutum Romanis non aequè fuit frequentatum, uti Germanis ex rationibus supra in medium prolatis, hoc tamen non obstat, quo minus rationes ex iure Romano petitaè, etiam ad illud ex identitate rationis possint trahi, quæ identitas rationis in eo potissimum se exlerit, quod cessio hæc bonorum ex eodem fonte, ex quo donatio fuit, nimirum mera liberalitate promanet & hinc proptio iure suo modo ad donationes referri queat, & forma legalis in aliis donationibus obseruanda, etiam ad hanc sit accommodanda, siquidem non solum in iis, ubi voluntas legis est manifesta, sed etiam ubi illa conjecturis sufficientibus colligi potest, sequenda est, nec exceptio ficta vel contorta regulam convellere debet, præsertim cum ratio insinuationis non tam concernat ipsum donantem vel cedentem, quam etiam utilitatem publicam & ius tertio quaesitum, quod salva iustitia, sub nullo prætextu ipsi eripi debet. Licet autem non possimus iniustas ire, legislatores licentiam donandi laxasse certis in speciebus & profusioni in his ex specialibus, his-

D

que

que novis rationibus locum indulgisse, quorsum  
 pertinet v. g. l. 36. §. 1. C. de donation. nihilomi-  
 nus tamen, ubi eiusmodi rerum monumenta  
 cessant, liberalitatis licentia incircumscrip-  
 ta plus æquo extendi non debet, sed satius est regulæ  
 inherere, cum donatarii favor, qui produxit ex-  
 ceptiones in casu, quo privatus Imperatori, vel  
 præfecti militares militibus donant, l. 34. C.  
 de donat. vel causæ favor, qui donationes piis  
 locis factas absque insinuatione, nullo habito  
 respectu ad quantitatem, validas pronunciat,  
 ad cessionem nostram suffragante analogia ju-  
 ris & cessante identitate rationis, neutiquam  
 possit extendi.

§. XIV. Quemadmodum certæ a legi-  
 bus proditæ sunt causæ, ex quibus donatio in  
 alterum collata revocari & repeti potest, ita ex  
 iisdem causis revocationi cessionis bonorum  
 a parentibus liberis factæ, locum esse, nulli du-  
 bitamus. Pertinet huc in genere in gratum ani-  
 mus, quando nimirum donatarius & cession-  
 narius in donantem & cedentem tale quid ad-  
 mittit, quod leges animadversione dignum ju-  
 dicarunt, impium enim est, ut illi, qui beneficia  
 alteri

alteri exhibuit, ab hoc injuria inferatur, eoque ipso probetur, omnem memoriam beneficiorum collatorum oblivioni datam esse, quali facto, ut leges indulgeant, tantum abest, ut potius severissima coercitione illud dignum putaverint. Sed ne omnes etiam fictæ ad donationem & hinc etiam cessionem rescindendam sufficerent, certas solum notarunt ac rescissione dignas judicarunt, quæ recensentur in *l. 10. C. de revocand. donat.* His in causis primum occupat locum atrox injuria verbalis, cujus atrocitas æstimatur secundum §. 9. *Inst. de injuriis* 1) ex facto, insigni nimirum convicio in aliquem emectato, 2) ex loco, si alicui in theatro, domo principis, vel alio loco publico injuria inferatur, in tanta enim celebritate aliquem vel quali injuria adficere, indignissimum est, 3) personæ reverentia atrocem facit injuriam, qui modus præcipue huc spectat, quando nempe liberi parentibus injuriam inferunt. Secunda causa est si injuria realis illi qui beneficiis alterum cumlavit, sic illata, quæ pariter variis inferitur modis, quos sigillatim recenset *CARPZOVIVS in praxi crim. p. 2. quest. 99. num. 2. seq.* Tertio hunc in censum spectat, si gravis jactura bonorum,

rum, malitia donatarii illata sit donanti, ita, ut arbitrio iudicis sit relictum, utrum hæc vel illa bonorum quantitas ad revocationem beneficii sit sufficiens. Quarta animadversione digna causa est, si beneficia accipiens, conferenti insidias vitæ struxerit, variisque artibus illicitis ac prohibitis necem illius promovere studuerit. Quinto denique loco huc pertinet, si collatio beneficii sub modo vel conditione facta sit & modus vel conditio non fuerint ad effectum dati ab illo cui sunt præscripti. His ergo ex causis modo recensitis revocationem uti donationis ita etiam cessionis bonorum a vivis parentibus liberis factam, locum habere, eo certius possumus defendere, quæ clarius illud analogia juris & identitas rationis, quæ inter utramque intercedit, postulat, & paritatem jurium importat.

§. XV. Hucusque egimus de revocatione beneficiorum ob ingratitude, operæ igitur pretium, ut etiam indagemus, utrum repetitio illorum, locum habeat, propter supervenientiam liberorum & quidem insperato succedentium? agit de hoc casu, licet non explicite, tamen implicite, *l. 8. C. de revocand. donat.* licet enim

enim illa, sermone tantum faciat de patrono & liberto, quorum diuersa & propria est in plerisque rebus ratio, recte tamen DD. quorum cunq; donationes eodem iure censendas esse, statuunt & quidem ex præsumpta donantis voluntate, in pietate ac amore erga sobolem posita, dato igitur casu, ut parentes bona sua liberis cedant & quidem in tanta quantitate, ut partus deinde natus non possit commode ali, vel ipsi de legitima prospici, nullum est dubium, quin parentes ex lege supra allegata jus quæsitum revocandi cessionem & bonorum cessorum habeant, adeo, ut si etiam hoc iure ex propria persona non uti velint, ipsi filio vel filia post cessionem natis & hac ratione in legitima læsis, actio competat, ad cessionem eatenus infirmandam, quatenus vergit in præiudicium legitimæ.

§. XVI. Paucissimis erit adhuc indagandum, quænam actio competat liberis, quibus a parentibus universa sunt bona cessa, vel etiam aliqua pars illorum, ut quibus suam ratam accipiat? si parentes ipsi partes aliquas unicuique assignaverint, nullum est dubium, qui nec huic divisioni stare debeant præ,

præcipue cum omnia peculiari beneficio parentum sint adscribenda. Nullis vero in specie in bonis cæsis, assignatis portionibus, ut ipsi diuidant bona, omnino opus erit, ad hanc divisionem autem non possunt provocare actione familiæ exerciscundæ, quoniam hæc solummodo illis datur, qui ad eandem hæreditatem vocati sunt, *tot. tit. ff. famil. exercisc.* hæreditatis autem titulo liberi bona non possident, quia hoc in casu, viventium nulla est hæreditas, sed potius actione communi dividundo contra se invicem agere debent, cum bona ad illos spectent, non titulo universali hæredum, sed singulari, qualis est cessio & donatio, ex quo fluit, actiones contra parentes competentes, contra liberos etiam post illorum obitum, non posse intentari, utpote qui quoad bona hæc modo acquisita, non repræsentant illorum personam, & hinc etiam a creditoribus hæreditariis conveniri nequeunt.

§. XVII. Plura adhuc supersunt, quorum in hac Dissertatione mentio injici potuisset, nisi hoc animo hanc materiam essemus aggressi, ut nos brevissimis explicemus, & saltem primas lineas



lineas ex generalibus juris principiis ducemus. Interim ut benevolus Lector huncce ingenii nostri foetum de meliore sibi commendatum habere, & omnia in bonam partem interpretari velit, est unice, quod enixe rogitamus. Quodsi impetraverimus, quippe quod nulli dubitamus, felix hanc opellam coronabit

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S

122 B








ULB Halle

3

005 355 710








Tri. 32. *Prism. 24.*

9

1758


35

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS,  
DE  
**CESSIONE BONORVM  
LIBERIS**  
A  
PARENTIBVS ADHVC VIVIS  
FACTA,



GERMANIS:

*1758*  
Von Abtretung der Güther an die Kinder bey der Eltern  
Lebzeiten und derselben klüglichen Versorgungs-Contract.



Q V A M

IN ACADEMIA ELECTORALI HIERANA,  
SVB PRAESIDIO

**DN. RVD. CHRISTOPH. HENNE,**

ICTI, ORDINIS ICTORVM ET IVDICII PROVINC. ASSESS. NEC NON  
IVRIS PVBLICI P. P. ORD.

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XXV. IANVAR. CID IO CC LVIII.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIECIT  
AVCTOR

**IO. GEORG. THEOD. MOTSCHMANN,**

ERFORDIENSIS.

OB FREQVENTEM IN PRAXIS FORO VSVM,

I E N A E,

REC. LITTERIS HELLERIANIS, 1760.

